

Quod de commento operum supererogationis¹⁸ ex sophistarum doctrina liber adducit, uanum est. Nullum enim opus bonum uel est uel dici meretur, quod non sit uerbo Dei mandatum et commendatum hominibus. Deinde quicquid boni potest homo vel facere vel loqui uel cogitare, id totum in praecepto dilectionis Dei et proximi¹⁹ includi manifestum est, quod totum hominem
 5 comprehendit. Proinde quaeque extra hoc praeceptum fiunt opera, quatenus indebita ac non necessaria, eatenus superflua sunt et ex consequenti superstitionosa, cum nihil aliud sit superstitio quam superflua ac uerbo Dei minime commendata relligio. Quare sanctorum opera et officia, quae scriptura
 10 commendat, talia iudicari nullatenus debent, ne spiritum sanctum superstitionis autorem uel approbatorem constituamus. Quae autem ex scripturis exempla et testimonia citantur [203:] – recte intellecta – proposito libri minime seruiunt.

De fiducia remissionis peccatorum.²⁰

15 Etsi de humanarum uirium infirmitate, corruptione et imperfectione non dubitandum modo, sed desperandum quoque sit, tamen cum remissio peccatorum et salus fidelium non ab humanis uiribus aut operibus, sed a ueritate, benignitate, gratia et misericordia Dei et merito Iesu Christi pendeat, nullus dubitationi locus relinquatur, ubi remissio peccatorum gratuita, constanti
 20 cordis fiducia suscipitur.²¹

De ecclesia et ipsius notis ac signis.²²

Generalia, quae de ecclesia eiusdemque notis ac signis liber habet, acceptari possent, si non in applicatione et hypothesi subessent fucus, uiror et – non ignotus orbi – dolus, siquidem ecclesiae Christi a principio humani generis
 25 constituti et hactenus seruati unitatem, sanctitatem, uniuersalitatem, communionem et ministerium liber agnoscit, quae et fidei symbolum docet et nos unanimi cum uniuersis fidelibus consensu credimus ac confitemur. Verum hanc eccle-[204:]siae sanctae maiestatem, gloriam, dignitatem ipsiusque

¹⁸ Vgl. Augsburger Interim VII, 55. 57. Die mittelalterliche Theologie unterschied die Erfüllung der zehn Gebote, zu der jeder Christ verpflichtet war, von den darüber hinausgehenden Werken, den „opera supererogationis“, der Befolgung der „consilia evangelica“, die nur dem Mönchsstand aufgetragen war und ihn damit zu einem „status perfectionis“ qualifizierten. Unter „opera supererogationis“ wurden zumeist die frei gewählte Armut und die Keuschheit verstanden, zu der sich ein Mönch in seiner Profess verpflichten musste. Vgl. Fairy von Lilienfeld, Art. Mönchtum II. 3.3.3.5, in: TRE 23 (1994), 174f. Zur reformatorischen Kritik am faktischen Zustand der Mönchsorden vgl. unsere Ausgabe, Nr. 9: Aepin, Bekenntnis und Erklärung aufs Interim (1548), Anm. 522.

¹⁹ Vgl. Luk 10,27.

²⁰ Vgl. Augsburger Interim VIII, 57. 59.

²¹ Zur Frage der Heilsgewissheit vgl. unten S. 508, Anm. 62.

²² Vgl. Augsburger Interim IX–X, 59–67.